

§. IV.

Ast non est, magnam, qua conflictemur, difficultatem timeamus, ubi perspecta Scripturae documenta rei euidenciam satis perspicueque eloquuntur. Nobis hinc incumbere uidetur, quot eorum fuerint, quoue in loco quisque collocandus sit, rationibus ueris, ac euidencibus comprobare. Nec sane difficile erit, quid dicturi sumus, ex utroque codice, ueteri nouoque, distincte commonstrare, decenterque confirmare. Quibus fiet, ut nequaquam ii simus, quorum animi dubiis uagentur, nec quid sequamur, unquam habeamus.

PROP. II.

Maximis, grauissimisque caussis ducti statuimus, Noachum et ante et post diluuium, non nisi tres filios, Semum, Chamum Japhetumque habuisse.

§. I.

Haec dum confirmanda aggredimur, illos recordari conuenit, qui tam uarie de numero filiorum Noachi sentire solent, eoque ipso in uarias prorsus sententias distrahuntur. Miseret autem me hominum, qui leuibus plerumque, exiguisque sentiendi argumentis connituntur, inde opiniones oriantur necesse est, inuisae eruditae, et odiosae. Ac principio quidem miror, quid in mentem ueniat nonnullis, qui Noacho triginta filios natos esse certatim statuunt, defenduntque. Hac sententia *Berosus Annianus* delectatur, eosque in gigantes euasisse arbitrat, ac praecipue illos, qui ex matre *Titaea* nascebantur, *Titanas* appellauit. Reddit quoque sententiae suae rationem, Deum ipsi, pacto foedere, iussisse, ut liberos ulterius gignendo, hominum genus amplificaret, immortalitatem